logias expleui, ac tuo, Princeps Eminentissime, nomini dedicaui: Hęc, cum pluribus monumentis euanuerunt: quæsiui & non inueni: Reassumptis Viribus in tabularia locorum, quibus Mathildis prę-fuerat, amicis adiuuantibus, admissus, nouam texui Genealogiam, & hæc etiam vni Tibi debetur. Sereniſsimi Principes Mathildim ſibi vindicant; Scri ptores magni nominis pro Patria certant: Ego null cam attribuo, nulli nego; & nominibus tantũ vtor quæ Mathildis ipſa, eiuſque progenitores vſque ad Sigefridum ſeniorem vſurparunt; aliorum enim ge neratio præterijt, nec eſt certa priorum memoria. Imperatores, Reges, ac cœteri Principes natura nobiles maiorum ſtemmata, fortia facta, grandes theſauros, longam Auorum ſeriem à Troianis, Ghotis, Longobardis repetitam palam exhibent, vt inter illuſtres numerentur Heroas, & hac etiam quaſi veneratione populos in fide contineant: Cœteri Ciues, licet interdum æqualem, progenitorum nobiliũ numerum recenſeant, atque illuſtria gentilium monumenta & opes non contemnendas ex antiquo proferant, non tamen exterorum oculos perſtringunt, tanquam animę ſublimioribus poteſtatibus ſubditę, patrijſque limitibus circumſcriptæ: Id etiam tuis accidit Eminentiſsime, quorum genus pluribus abhinc ſæculis in Æmilia floret, in Vmbriam quoque, ac

Tuſciam,